





5  
/

1791 3

COLLEGII IVRIDICI

IN

ACADEMIA WITTENBERGENSI

H. T.

DECANVS

D. ERNESTVS GOTTF. CHRISTIAN.  
KLVGEL

DIG. VETER. P. P. O. CVRIAE PROV. ELECT. CONSIST.  
ECCLES. SCABIN. ET FACVLT. IVRID. WITTENBERG.  
IVDICII ITEM PROVINC. IN LVSAT. INF. MARCH.  
ASSESSOR

L. B. S.

---

*Inest*

*de iudice edictaliter citante tractatio.*



COLLEGIUM IURIDICUM

ACADEMIAE WITTEBERGENSIS

D. ERNESTVS GOETTER, CHRISTIANVS

K. I. V. R. G. E. I.

DIG. PETER. P. O. OVRNIAE PRON. EFFECT. COMMISS.

SCOTTES. SCABIN. REPVBLICAE. SVRIV. WITTEBERG.

IURIDICUM ITEM PROVINCE IN EVANG. IMPER. MARCII

ASSESSOR

...



**P**arum dubii, vel nihil prorsus in ea inesse quaestione, vtrum  
omnis iudex edictaliter possit citare, existimabit, quicumque  
secum reputat, citationem ad ea, quae essentialia processus suae in  
lire abscessisse necessaria dicuntur, pertinere, iudicem autem, vt lites  
dirimat, constitui: ex quo consequitur id, vt, nisi iudex litem agen-  
tes vel acturos ad se vocare possit, is parum dignus videatur hoc  
officii nomine. Attamen legens scriptores nonnullos, qui sibi ma-  
teriam de edictali citatione tractandam sumserunt, video, aliquos  
corum et prolixos in hac re tractanda et anxios. Duo sunt inpri-  
mis, quae ipsos in ea definienda torquent. Vnum, vtrum iudici  
inferiori edictaliter citandi sit potestas: alterum, an eam sibi sumere  
possit delegatus. Certe Gailius in obseruationibus suis practicae ple-  
nis eruditione *Libro I. obs. 57. no. 7. creditores defuncti*, scribit, *si in  
diuersis locis habitent, et incerti sint, possunt citari per edictum, vt com-  
pareant coram omnium superiore iudice ad eum effectum, vt creditum suum  
ibi proponant et deducant, vel ad videndum imponi ipsis perpetuum silen-  
tium.* Prouocat probationis causa ad Felinum, Speculatorem, Bar-  
tolum et Doctores generatim, et testatur in camera in causa Bran-  
denburg contra creditores Marchionis Alberti et aliis quam pluri-  
mis causis ita factum esse. Haec Gailius quem Schultzen in *disp.  
de citat. edict. Cap. II. §. 10.* alique sequuntur, scripsit de conuocan-  
dis creditoribus. Bartoli tamen sententia omnino latius patet. Is  
enim habet sic: *haec per edictum citatio non fit, nisi per ordinarium vel  
delegatum principis, non autem per inferiorem.* Salm eius verba ex-  
scripsit ita Maranta in *specul. aur. P. VI. tit. de citat. no. 82.* Gailius  
vero alio loco *laud. obs. no. 13.* longe ab his discedit, quo contendit,  
omnia, quae proposuerat de citatione per edictum, accipienda esse  
de

de iudice ordinario. *Nam delegatus, per edita citare non potest, nisi hoc ei specialiter concessum sit, vel consuetudo admitteret, quae iurisdictionem dat. Proinde si quidem citandus sit vagabundus, ad ordinarium recurrere debet.* Nempe haec erat Baldi sententia, quem scimus contrariam saepe Bartolinae doctrinae amplexum fuisse. Excitatum est in hanc causam, quod attinet ad delegatos, *cap. 13. X. de foro comp.* cuius verba aliquo modo eandem respiciunt. Itaque si ea omnia coniungamus, haec sequuntur: ordinarius iudex potest edictaliter citare; inferior saltem non semper; delegatus nunquam, nisi hoc ei specialiter concessum sit. Quod ad ordinarium, paulo videtur hoc verbum obscurius esse. Videntur tamen hi auctores intellexisse non delegatum. Delegatorum enim iurisdiclio extraordinaria est, qui propterea recte *iudices extraordinarii, quibus iurisdiclio in certa causa est delegata*, auctoritate iuris Canonici a Boehmero in *introd. ad ius Digest. Lib. 1. tit. XXI. §. 7.* appellantur. Quamobrem non opus est, ut scriptores istos de ordinario iudice loquentes accipiamus ita, ut quilibet, etiam inferior, iudex sub eo vocabulo comprehendatur. Nam Barriolus expressis verbis inferiorem excipit, et Gailius omnium conuocandorum superiorem pro competente agnoscit in ea specie, quam supra exposui, neque in commemorandis reliquis speciebus, quae citationem admittunt edictalem, quasque ipse explicauit, de inferiore iudice verba fecit. At enim vero, quamuis ita explanemus sententiam horum Doctorum, tota tamen doctrina non satis videretur cohaerere, ut meliorem iure statuamus, Gailium cum aliis, si tradunt, superiorem aduendum esse iudicem edictaliter citandorum reorum causa, ita voluisse sententiam suam intelligi, si plures conuocandi sunt, quos eundem iudicem non agnoscere probabile sit, vel de quibus iam certum est, omnes eundem iudicem, nisi superiorem, non esse agnituros. Verum ne hoc quidem recte affirmari potest, inferiori iudici potestatem concessam non esse conuocandi hos, qui sub diuersis iurisdictionibus habitant. Nam, si hanc speciem sumamus, quam Gailius, ad eum enim passim prouocant, proposuit, concursum scilicet creditorum, eius sententia per id exemplum, quod addidit, plane non probatur.

Certe

Certe camera, quamvis iudicium supremum sit, non tamen appellari poterat ita ratione Marchionis Alberti, cuius iudex immediatus procul dubio erat hoc summum Tribunal Imperii. Atqui in eiusmodi causis citati non sunt rei, sed prouocantur ad agendum. Cum vero actores sint, rei forum sequi debent. Quamobrem, si tales prouocati edicto conuocantur, omnino sunt ab eo iudice citandi, quem prouocans agnoscit, neque ullus respectus haberi potest ad hanc rem, quod ipsi sub aliis iisque variis iurisdictionibus commoerentur. Neque sufficiunt illa, quae Koefelshius in *disp. de citat. edict. Wirteb.* 1718. praeside Bastinello defensa §. 15. exposuit, ubi, quamuis ipse reiiciat illam sententiam, qua iudicem summum dicitur solum edictaliter citare posse, tamen haec habet: *sciendum est, ordinariis, siue superiores siue inferiores sint, per edicta citandi potestatem competere, arg. l. 2. D. de iurisd. modo iurisdictionem habeant in citandos. Alioqui eum citati, quia extra territorium vel supra suam iurisdictionem ius dicenti impune non paretur, per l. ult. D. de iurisd. citra omnem contumaciam tuto emanere possunt.* Si haec sequi velles, rarius in concursu creditorum forum generale constitui animaduertes, saepe ne tunc quidem, cum iudex in omni regno supremus creditores vocaret. Nam, etiamsi camera Imperialis citasset, si tamen inter creditores essent Angli, Belgae, Galli, iique incerti, hos simul vocatos non intelligeres. Quamobrem ipsa rei indoles satis suadet, inferioribus iudicibus quibuscunque potestatem edictaliter citandi creditores vniuersos, incertos saltem, certi enim secundum leges plerarumque prouinciarum separatim immediate siue mediate, prout res postulat, vocandi sunt, non esse adimendam. Neque eam his inferioribus ademptam esse, luculenter probat consuetudo. Id ipsum iam de suis temporibus narrat Carpzov. in *proc. tit. VII. art. IV. no. 9.* Barchhausen in *disp. de cit. edict. §. 7.* et alii. Et si forte antiquioribus temporibus in eiusmodi causa fuisset ad iudicem superiorem recurrendum, quod vix affirmare generaliter ausim, tamen contraria consuetudo, quam testatur Carpzovius, concessit eam potestatem inferioribus. Neque opus est, ut repetamus hanc rem ex conditione fori rei sitae, in quam opinionem declinare sentio

Schultzenium *loc. laud. §. 9.* Etenim, cum in ea specie conuocentur actores, sane est superfluum, vt confugiamus ad forum rei sitae, quamuis concedam, quod plerumque sub citantis iudicis iurisdictione debitoris res pleraeque, si non omnes, inueniantur: sed sufficit, forum domicilii sit, ad quod conuocentur creditores, vt generale, in quo omnes proponi possunt actiones. Hinc iure improbat Brunnemannus in *processu civili Cap. III. no. 7.* sententiam eorum, qui omnem citationem editalem monitoriam tantum esse perhibent, vt fecerat Hilliger in *Donello enucl. L. XXIII. cap. 2. not. F.* qui, multorum, quos laudat, nixus auctoritate, *per eam*, scribit, *optio datur cuiuscunque, venire et obistere, nemo autem cogitur.* Sed nimirum, quamuis ea non in se habeat directam aut corporalem coactionem, talemque, qualis ipsa citatio est realis: per indirectum tamen, quem admodum omnis prouocatio, si praeiudicio, vt dicimus, veluti poena praecclusi, sit munita, nemo, quin sit arctatoria citatio, in dubium debet vocare. Videlicet hoc quoque consuetudo probat, vt eiusmodi editali citationi, cui insertum est praeiudicium, hunc tribuamus effectum, vt ab eodem iudice, qui prouocatus atque ita citatus in termino constituto ius suum non est professus, deinceps amplius non audiat. Quae adeo vera sunt, vt, etiamsi in quibusdam provinciis prouocatos bis citari opus sit, antequam praecclusis haberi possint, vt factum olim fuit in Lusatia, quod vide apud Schultesium *loc. laud. Cap. III. §. 4. 5.* tamen prima, quae dilatoriae habet rationem, pariter atque altera arctatoria nominari debeat citatio. Neque, nisi id consuetudo, vt in Lusatia olim, teste, quem modo excitavi, Schultesio, aut lex provincialis postulet, id necessarium duco, vt, vbicunque inferior iudex velit editaliter citare, incertos saltim, de certis enim repeto superiora, collegium prius iudicum, an liceat, quaerat, quod consilium dare videretur Carpzovius *loc. laud. no. 8.* Nam, si causa talis sit, quae sua natura aliam, quam editalem citationem, non admittit, plane superfluum esset, super quaestione petere consilium, quam affirmatum iri certo praecideri potest. Accidit hoc in concursu creditorum, vocatione heredum incertorum, conuocacione



catione creditorum, quibus in rem singularem ius est, et aliis  
 eiusmodi causis, quatenus, tanquam incerti, edictaliter vocari  
 possunt. Quin etiam ad certos hoc pertinet, cum nimirum hi  
 ex legum prouincialium praescriptione colligente nomine citari edi-  
 ctaliter debent. Sed id quidem hoc loco vix commemorandum  
 erat, quandoquidem, si lex iubet iudicem quemcumque conuocare  
 cuiusdam classis aut ordinis homines, nulla amplius superesse possit  
 dubitatio, an id liceat inferiori. Neque aliud dicendum est, si  
 homines citandi sint, qui nomine quidem suo certi sunt, de quibus  
 vero, vbi commorentur, non constat, quos plerumque Doctores  
 vagabundos appellare solent. In quo tamen genere nonnunquam  
 maior, quam in his, qui plane incerti sunt, circumspectio erit ne-  
 cessaria, ne iudex nimis festinans et improvidus eum habeat vaga-  
 bundum, qui hoc nomen non meretur. Hoc autem omnino non est  
 praetermittendum, quod, cum non omnis iudex in quacunque causa  
 competens sit, sed quaedam causae sint priuilegiatae, si, quemcumque  
 iudicem inferiorem posse edictaliter citare, asserimus, id ita accipien-  
 dum sit, vt causa etiam, in qua ea citatio proponitur, coram eo  
 iudice, qui citat, agi possit. Ita, cum desertionis processus sectin-  
 dum leges multarum prouinciarum coram ecclesiastico, bannito-  
 rius coram criminali, qui superiore gaudet iurisdictione, iudice tra-  
 ctari debeat, ex hoc facillime perspici potest, neque in illa secularem,  
 neque in hac inferiore tantum iurisdictione praeditum per edictum  
 quenquam posse citare: et, si alicui magistratui, vt sit aliquando,  
 nulla in causis contentiosae iurisdictionis data sit potestas, ei ne qui-  
 dem vocare creditores licere edictaliter. His itaque positis, hanc  
 puto regulam recte constitui: quicumque iudex potest in causa, de  
 qua agitur, priuatam alicui mittere citationem, ille etiam per edi-  
 ctum eundem citare potest; vel etiam hanc: a quo iudice quis praes-  
 ens potuisset citari per nuncii missionem, ab eodem etiam absens  
 citari potest edictaliter. Verum, vti nulla dicitur regula esse sine  
 exceptione, ita hic quoque non omnis exulat. Nempe primo, si  
 citatio edictalis sit extraordinaria, cum scilicet vocatur is, quem sci-  
 mus, vbi viuat, et qui, si immediate vocari nequit, per subsidia-  
 les

les literas est citandus, auctor non esset iudici, qui pro suo arbitrio absentem hunc citet per edictum, ut potius vel Principis rescripto vel consilio collegii ICtorum hoc efficiat, ut, edicto ex hoc rescripto vel consilio edito, quae sunt Carpzovii in loco citato verba, *illegitimi processus non pertineat periculum*. Deinde, si vel lex vel consuetudo et usus fori veteri in aliqua causa edictalem citationem, quamvis alias ordinariam, quin in hac iudex ab edictaliter citando abstinere debeat, nemo non videt. Porro, si aliquod dubium superest iudici, utrum species vere adsit, quae admittit edictalem, quamquam ordinariam, citationem, veluti si quis dicatur vagabundus, quod omnino aliqualem desiderat causae cognitionem, potius sequatur consilium Menckenii, in *proc. Tit. IV. th. 2.* aliorumque multorum, se nimirum a ICtis informari curet. Denique vix est, ut hoc addam, in tali causa, in qua iudex esse nequit, nemo audeat quatenquam citare edictaliter, quod apparet iam ex eo, quod in eiusmodi causa ne priuatae quidem citationis ei data est potestas. Haec itaque de iudice ordinario. Nunc pauca adhuc dicenda sunt de delegato, siue, quemadmodum etiam nominari solet, commissario. Ac primo quidem, si expressis verbis ipsi ea potestas vocandi per edictum data est, nemo, quin legitima sit, quam hoc modo proposuit, ambiget. Si vero expressa delegantis deficient verba, aliter rem esse decidendam, defendi variis solet argumentis. Addit enim in loco supra exscripto Gailius, Baldum hanc sententiae suae posuisse rationem: *quia citatio per edictum est similis banno, at delegati bannire nequeunt sicut nec excommunicare*. At enim vero non omnino verum est, si excommunicatio hic in auxilium vocanda est, eam non permitti in iure Canonico delegato. Etenim in *cap. 26. X. de off. et pot. deleg.* statim ab initio haec leguntur: *si delegatus a nobis excommunicat illum*. Et, si ex *l. 10. C. de sent. et interl. omn. iud.* id sequeretur, quod Baldus voluit, delegatum bannire non posse, quamvis hoc quoque argumentum subobscurum sit, tamen cum dicatur, edictum simile banno esse, nimis longe hanc similitudinem esse peritam, quis est, qui non videat. Nolo igitur in hoc diutius immorari. Aliam potius enarrabo distinctionem. Barckhausen in  
*dissp.*

*disp. de edict. cit. §. 7.* principis commissario quidem facultatem edictaliter citandi dat, et probandae suae sententiae causa excitat *authenticam qui semel C. quom. et quando iud.* adeoque discedit ab his, qui ne principali quidem delegato eam potestatem concedunt, nisi ea etiam expresse esset mandata, ut Rulandus *de commiss. P. I. L. V. c. 3. n. 26.* Et verissima omnino est illa sententia, ut perspicue docent verba authenticae: *qui causam persequi differat, reo postulante tribus edictis citetur. Quae citatio et per principem delegatis permittitur, quod locum habet, etsi lis coepta non sit, de quorum verborum vi consuli quoque meretur Richter in exposit. Auth. ad dict. Auth. n. 14.* Sed cum, qui non a principe delegatus est, negat Barckhausenius posse edictaliter citare, in quam sententiam etiam Koefelisium concessisse video in *laud. disp. §. 16.* Uterque hanc reddit asserti rationem, quod citatio edictalis sit remedium exorbitans: ille praeterea, quod ea requirat superioritatem; hic vero, quod delegatus bannire non possit aut excommunicare. Miror, non etiam hanc illos auctores arripuisse causam, in authentica modo laudata et capite decretalium supra excitato de solis agi Principis et Papae delegatis: quamquam ea quoque debilis lris fuisset propterea, quod exinde non sequatur, magistratum delegatos per edictum citare prohiberi. Quod autem argumenta atinet de superioritate et banniendi excommunicandique potestate sumta, haec supra iam vberius examinaui. Illa vero ratio, quae ex exorbitante, quod in citatione inest edictali, petitur, ad excludendum delegatum sufficere non videtur. Rectissime scribit Griebnerus in *princ. proc. iudic. L. I. Cap. VII. sect. 4. §. 3. quae comexa sunt, ac sine quibus commissio vix expediri potest, simul tacite mandata consentur.* Atqui sunt pleraeque causae, in quibus edictalis locum inuenit citatio, ita comparatae, ut commissio non possit sine ea expediri. Veluti sunt concursus creditorum, conuocatio heredum, inquisitio contra fugitiuum. Quamobrem, si delegato cuidam cognitio concursus creditorum mandata sit, cuiam in mentem venire potest, eidem delegato, etiamsi non expresse id factum sit in mandato, datam non esse conuocandi edictaliter creditores, incognitos factim, potestatem. Sane, cum tota causae tractatio

tio a tali incipere debeat citatione, si hanc ei adimas facultatem, quasi nihil potestatis delegato tributum sit, iudicandum esset. In his enim causis citatio per edictum ordinaria est, quae omni caret dubio. Hinc bene monet Brunnemannus in *proc. civ. Cap. III. no. 22. quod dicitur de iudice delegato, illud verum est, quando citanda est persona certa: sed quando creditores conuocandi sunt a commissario, putauerim omnino id sine speciali mandato fieri posse. Nam hoc casu non irregularis sed ordinaria est citatio per edictum.* Quod hic Brunnemannus de creditorum concursu scripsit, id merito ad omnes accommodandum est species, quae citationem sinunt fieri edictalem. Nam ipse etiam certas tantummodo personas excipit. Vbi cunque igitur incertae personae vocandi sunt, etiamsi tantum quod ad habitationem tales sint, non video, cur delegato deneganda sit citandi eos edictaliter facultas, quos ipse committens aliter vocare non possit. Hoc enim per negotii naturam patet, delegatum eandem in citatione per edictum decernenda adhibere debere diligentiam et cautionem, quam ab ordinario iudice exposcimus. Quae cum ita sint, quin de delegato statuamus quoque regulam, vix est quod dubitemus: vnumquemque delegatum edictaliter citare posse, quatenus delegans hoc potuisset facere. Verumtamen et ab hac aliquando discedendum esse, non ibo inficias. Quenam illae sint exceptiones, partim ex superioribus innotescet, partim prouidus iudex delegatus facili perspiciet negotio, qui, cum dubium sibi nasci animaduertit, consilii Krausiani in *proc. L. I. Cap. VII. Sect. 6. §. 8.* memor mandantem consulat. Atque haec quidem de ista re commemorasse sufficiat. Commendandus enim nunc est Vir Praestantissimus et Politissimus

## ANDREAS AVGVSTVS HERING

IVR. VTR. CAND. ADVOCAT. ET NOTAR. PVBL.

qui ad nos venit, ut summos in iure vtroque ambiret honores, de vita autem sua haec ipse exponit.

Ego

*E*go ANDREAS AVGVSTVS HERING natus sum Budissae anno huius seculi  
 LXV. patre GOTTLÖB AVGVSTO HERING, eius orbis Consule, ac  
 matre CHRISTIANA FRIDERICA, ex stirpe GLAESERIANA. Quod si eos  
 carissimos habere debemus, a quibus nobis vita ac liberalior educatio tradita  
 est, maximum merito iudico, quod parentibus optimis debeo, qui in me a  
 primis annis omnem curam beneficiaque liberaliter contulerunt. Sed iam  
 ante aliquot annos patre, cuius memoriam beatam mihi que semper caram  
 colo ac veneror, orbatu, maximam adhuc pietatem experior matris, quam  
 et diu adhuc saluam ac sospitem bonisque omnibus, quibus humana desin-  
 tur felicitas, cumulatissimam mihi seruare velit, Deum optimum maximum  
 supplex rogo. A prima inde infantia optimi parentes fidei M. FRIDE-  
 MANNI, Gymnasti, quod Budissae floret, Collegae meritissimi me crediderunt,  
 cuius disciplina domestica ac praeceptis usque ad duodecimum aetatis annum  
 usus sum. Deinde me excepit Institutum, quod Bunzlaviae regia liberali-  
 tate sustentatur, sed paullo post scholam, quae in Monte Asra Misëncis  
 celebratur, Electoralem frequentavi, ubi liberalibus artibus addiscendis  
 per tres annos ac dimidium sedulo operam dedi. Sic ad altiora praeparatus  
 Academiam Vitebergensem Mense Aprili MDCCLXXXIV. saluati ac  
 tunc temporis fascis Academiae tenente Viro Magnif. et Experientiss.  
 BOEHMERO, albo studiosorum sum adscriptus ac in historia addiscenda usus  
 sum Excell. SCHROECKHIO, Viro summe Venerabili REINHARDO praecepta  
 logices tradente, Excell. MEERHEIMIO notitiam temporum praesentium ex-  
 ponente. In iuris vero scientiis fidelissimi duces mihi contigere, Vir Illustr.  
 REINHARDVS nunc Dresdae a Consiliis aulae et iustitiae in Institutionibus  
 iuris addiscendis, Illustr. WIESANDVS summi prouocationum senatus Con-  
 siliar. in iure feudali et publico, qui simul ingenium meum differendo ac  
 disceptando nec non examinando exercuit, artemque ex actis referendi ac  
 modum

modum causas in foro orandi me docuit, Illustr. PAULI in iure cambi-  
 Illustr. KLÜGELIVS in historia iuris, in explicatione Encyclopaediae Schot-  
 tianae, Illustr. HOMMELIVS in pandectis et iure criminali. Denique et  
 exercitationibus disputatoriis Excellent. TITII, scholisque Experientiss.  
 LANGGVTH medicinam forensensem tradentis interfui. Plurimum me his prac-  
 ceptoribus fama celeberrimis ac de hac misarum sede meritissimis, quos  
 omnes grata mente veneror, me debere, lactus profiteor. Denique sub  
 praesidio Ill. WIESANDI publica disputatione habita, examen pro praxi  
 et pro candidatura sustinui ac Notarius publ. Caes. sum creatus. In pa-  
 triam vero reuersus mox in numerum advocatorum Lusaticorum sum relatus  
 ac paullo post praxin iuridicam et in prouinciis Electoralibus exercendi pot-  
 estate mihi data, per singularem Maecenatum, quos summa pietate vene-  
 ror, gratiam ac intercessionem ad munus Vice-Actuarii in praefectura  
 Electorali Hoyerswerdensi sum admotus, quod vero iterum cum munere  
 Vice-Actuarii, ac administratoris reddituum ex sportulis emergentium in  
 praefectura Stolpensi, commutavi. Nunc vero in eo sum, ut summos in  
 iure honores capessam, quibus ut me Ordo Illustris ornare velit, ea, qua  
 par est, obseruantia rogo.

---

Hic igitur Vir Humanissimus in examinibus inuentus is est, cui  
 aditus ad summos in viroque iure honores merito aperiretur. Quos  
 vt consequatur, more antiquitus recepto dissertationem suam inau-  
 guralem de causis edictalis citationis, me quidem ipso praeside, Cal-  
 lend. Nouembr. futuris publice defensurus est. Hanc solennitatem  
 vt PRO-RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLUSTRISSIMI COMITES,  
 FERILLVSTRES LIBERI BARONES, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI,  
 OMNES DIVINAE HVMANAEQUE SAPIENTIAE DOCTORES, GENEROSISSIMI  
 ITEM ATQVE NOBILISSIMI COMMILITONES honorifica sua praesentia  
 ornare velint, cum meo, tum Ordinis mei nomine ea, qua par  
 est, humanitate rogo. P. P. Dominica XIX. post festum Trinitatis  
 A. R. S. MDCCLXXXI.

---

Wittenberg, Diss., 1791

ULB Halle

3

002 109 840




sb.









5  
/

1791 3

# IVRIDICI

N  
TTENBERGENSI

T.  
A N V S

TTFR. CHRISTIAN.

E G E L

E PROV. ELECT. CONSIST.

LT. IVRID. WITTENBERG.

IN LVSAT. INF. MARCH.

SSOR

B. S.

est

er citante tractatio.

